

## I.

**E**Volutioni Nominis *Typographiae* non est, ut multis im-  
moremur, eandemque prolixè declaremus; siqui-  
dem quod ad *Etymologiam* attinet, neminem existimamus  
fore, cui non constaret, *Typographiam* suos deducere nata-  
les à Verbo Graeco *τυπογραφεῖν*, i. e. typis scribere: atque  
hoc ipsum compositum rursus esse, tum ex nomine *τύπος*,  
tum Verbo *γραφεῖν*, scribere. Observandum tamen hoc  
loco venit, vocem *τύπος*, cum plures habeat significatio-  
nes, hic nihil aliud notare, quàm characteres certos ad  
imprimendum, librosque excudendum idoneos. Vo-  
cantur vero Typi ideo, quoniam, ut *Lexicon Graecum Ba-  
sileense* explicat, primis characteribus styliorum, quàm si-  
millimi exeant, ex formis scil., in quibus, beneficio stylo-  
rum horum, fuerant impressae literarum figurae ac inci-  
sae. Adeoque innotescit facile, *Typographiam*, vi Etymi, e-  
jusmodi esse artem, qua Typis aeneis scribitur, ut hinc  
non immerito *novum* saepius *scribendi genus* appelletur.

II. Circa *Homonymiam* probe distingvas necesse est,  
nostram, quam hic tradimus, à *Sinensium* *Typographia*.  
Licet enim *Hugo Grotius* adhuc dubitet de *Sinensium* im-  
primendi ratione, an etiam *Typographia* salutari possit?  
negativamque tueri conetur contra *Jo. de Laet* (in *diff. II.*  
*de Orig. Gent. Amer.*) quia non parum à nostra discedat;  
cum tamen nec à *Grotio*, nec alibi aliud quoddam nobis sup-  
peditetur vocabulum, quo illorum imprimendi modus  
exprimatur, retinendum omnino cum *Jo. de Laet* hoc  
ipsum putamus; hac verò distinctione simul observatâ,  
quod h. l. ejusmodi intellectam velimus artem, ubi non  
integris tabulis atque figuris imprimatur, quemadmo-  
dum apud *Sinenses* longo abhinc tempore in usu fuisse,  
traditur; sed potius, ubi literae seu apices aenei, singuli  
seorsim assumpti, certoque ordine inter se compositi, ap-  
plican-